

humanitas



Vol. III

IMPrensa DA UNIVERSIDADE DE COIMBRA
COIMBRA UNIVERSITY PRESS

FACULDADE DE LETRAS DA UNIVERSIDADE DE COIMBRA

INSTITUTO DE ESTUDOS CLÁSSICOS

HVMANITAS

VOLUME III



COIMBRA

MCML - MCMLI

Lux Fatimae

*Lusiadum tellus, fortunatissima tellus,
magnanimum factis tot celebrata uirum,
non nautas quondam uelis remisque per altum
currentes memori nunc cano mente tuos,
nec terras quondam per te uirtute subactas,
sanctus ubi micuit cultus et alma Fides.*

*Non haec nunc recolo, non haec nunc pangere conor,
quippe nouum fulget, gloria summa, decus.*

*Mersa uidebaris longa tacitaque quiete
temporis elapsi uoluere facta diu,
cum lux effulsit superis e sedibus ingens;
ad te tunc uertit lumina quisque stupens.*

*Quid? Deus e caelo madefactum sanguine Terrae
rursus conspexit criminibusque solum ?*

*Auersos natos nos allicit usque benignus
nosque mouet prisca relligione Pater ?*

*Innumeris ueluti circumdata floribus exstas,
innumeras gentes ad loca sancta trahis,*

*Lusiadum tellus, fortunatissima tellus,
quo Virgo gressus Immaculata tulit.*

*Tuque, piis pueris ubi nuper ab ilice Virgo
se obtulit, aeterna, FATIMA, luce nites (1).*

*Dum Mars igniuomis Europam concutit armis,
unde labant urbes totaque terra tremat,*

(1) De his, quae nostra prorsus aetate (a. MCMXVII) Fatimae, in paruo Lusitanorum pago, euenerunt, multa conscripta sunt. Quod ad res historicas pertinet, uide, sis, João M. De Marchi, *Era Uma Senhora mais Brilhante que o Sol. ...*, III ed., Cova da Iria, s. a., et L. Gonzaga da Fonseca, *Le meraviglie di Fatima*, X ed., S. A. S., s. a.

*pressae dum gentes hic illic sanguine manant
 nec polus insidiis nec caret unda maris,
 tres teneri pueri, pastorum germine nati,
 degebant parvis tempora prima casis.
 Non illis uacui fulserunt ludicra mundi,
 non gemmis licuit diuitiisque frui.
 Sancta pudicitiae tantillos uincla tenebant,
 simplicitas, pietas maxima, pura Fides.
 Vallis erat. Zephyris non hic fluitantibus arbor
 spissa comam circum murmura blanda dabat,
 nec gelidae musco circumlita uena susurro
 hic querulo quondam desiliebat aquae.
 Scrupea uallis erat solumque bidentibus apta,
 quae daret in campis stamina parua pigris.
 Huc Hyacintha suos, Franciscus, Lucia uirgis
 ducebant prima luce per arua greges.
 O quam cara Deo fuit illa puertia ! Nunquam
 in terris forsant sanctior ulla fuit.
 Oulcia quae solis resonabant murmura campis ?
 Quae sanctae uoces tam pia corda mouent ?
 Cuncta uidebantur caelestes mittere uoces,
 omnibus et rebus summus inesse Deus.
 Tunc subito orandi pueros tam blanda uoluptas
 tent abat cupidos fundere ab ore preces.
 O quotiens, tremulas dum spectant rore corollas,
 sol ubi multicolor frangitur atque meat,
 mente peragrabant celeri caelestia pusi
 captabantque simul gaudia magna pii !
 luuit ut interdum trans uallem mittere uoces,
 missos si uallis redderet ima sonos !
 Vnum nomen erat: uallis repetebat imago
 dulcisonum nomen, sancta Maria, tuum.*

*At, cum grex pinguis rorantes carperet herbas
 uel requies pastas lenta teneret oues,
 tunc concedebant solum tacitumque sub antrum,
 ut precibus possent sollicitare Deum.
 Dum teneris digitis mari ana rosaria uoluunt,
 certatim laudes Illius ore cient,*

*rite salutantes quae Iesum sustulit aluo,
 protegat ut miseros auxilioque leuet.
 Horae praetereunt illis orantibus una
 donec tranquilli uesperis unda cadit.
 O u aliis, puerum sanctis ubi uocibus olim
 saxa diu uacui personuere soli,
 Virginis aduentu, uallis, dignata Mariae,
 nunc tua me trepidum dicere facta iuuat.*

*Maius mensis erat: ridebant floribus agri,
 cunctaque multiplicis plena nitoris erant.
 Sol medium caeli rutilans traiecerat orbem
 atque erat in parua maxima ualle quies.
 Pastores pueri, qui primo mane tenellos
 ad sua compulerant pabula nota greges,
 herbas dum tacitae tondent passimque bidentes
 errant, tum superis feruida uota dabant,
 uerbaque, quae Gabriel delapsus ab aethere dixit,
 ut mos, reddiderunt, Virgo beata, tibi.
 Mox paruis casulam saxis lignisque struebant
 feruebatque locus uocibus ingenuis,
 cum subito exoriens, Phoebi fulgentior ipso
 lumine, lux secuit, sole nitente, polum.
 Constiterunt pueri permoti, namque timebant
 turbidus opprimeret ne procul imber aquae.
 Collectis gregibus properabant tangere limen
 cum noua lux fulsit candidiorque fuit.
 Illice sub parua foliis uiridantibus ecce
 caelestis mira luce figura stetit.
 Candida uestis erat: radiis auroque decora
 qualis non gemmis pulcrior ulla fuit.
 «Nullus erit uobis timor — inquit — ; laedere nolo».
 Illius in facie lumina fixa tenent.
 «Vnde uenis ?» trepidans quaesiuit Lucia tandem;
 «E caelis». «Quidnam dic mihi, sancta, uelis».
 Tunc monuit pueros, illam cum ferret eandem
 luna diem, peterent cum pietate locum,
 idque iterum facerent iterumque: octobribus horis
 nomen dicturam quidque iuberet ait.*

*Ne tamen interdum mari ali a dice re uota
 cessarent: cunctos dira manere satis,
 nec nisi supplicibus precibus cadere arma per orbem
 ut pax in terris fulgeret alma diu.
 Dixit et aspectu pulcherrima lenta recessit
 illuc, lux oriens unde serena redit.
 Pectora laetitia puerorum percita, quali
 non datur hic unquam corda creata frui.
 Collectis ouibus casulas petiere beati,
 dicere nec quicquam constituere suis.*

*Non tamen, heu, potuit praeclusum condere semper
 hoc Hyacintha: sua gaudia sponte fluunt.
 Res patuit; primum uero non credita cuiquam;
 magna puellorum sed stetit illa Fides.
 Nullius inflexit uultus taeterrimus illos,
 mouerunt nullae robora firma minae.
 Sic iterum uallem repetunt iterumque dieque
 caelestis certa forma repente uenit.
 Promissum seruans tenui deuecta puellis
 apparet nebula colloquitur que simul,
 nullis uisa tamen, nisi quod spectante popello
 stat nebula in paruicis ilicis alba comis,
 uerbaque, sublatis oculis quae Lucia reddidit,
 auribus intentis densa corona bibit.
 Hic magna ostendit pueris miracula Virgo,
 magnaque non ullis hic reseranda dedit.
 Maesta manus olim pandens — mirabile dictu —
 telluris radiis rumpere uisa solum,
 infernosque locos detexit et ignibus atris
 horrendis animas uorticibusque rapi,
 quales in flammis saliant quandoque fauillae,
 monstraque terrificis peruolitare modis.
 «En quo nunc miseris—tacitis maestissima dixit—,
 en quo nunc animas crimina multa trahunt;
 infandas poenas ullo sine fine subibunt;
 infandis poenis non erit ulla quies.
 Vt Deus his flammis homines auertat, in orbe
 omnes esse mea sub ditione iubet.*

*Sic mala, quae impendent, frangentur; pax erit alma
per me si tandem regnet ubique Deus».*

*Huc se cum Iesu redituram certa spondit
ut monimenta sui traderet atque fidem;
uenit et octobri, quo tempore dixerat, atque
hic monimenta sui tradidit atque fidem.*

*Rerum tantarum terras inuaserat omnes
nuntia fama: petit maxima turba locum.
Certa dies aderat. Non claro lumine Phoebus
fulgebat; fuis aethra nigrabat aquis,
totaque uallis erat stagnum iam facta refusum,
atris contractus nubibus usque polus.
Anxius in curuam uallem cupidusque uidendi
accurrit populus, qua uia trita datur,
et locus ille fuit prima de luce diei
doctis et rudibus totus ubique frequens.
Vestibus induti festis uenere statuto
tempore dein pueri: murmure cuncta sonant.
Ilicis ad paruae spoliatum tegmine truncum
per uarias turbas, dum cadit imber, eunt.
Lucia mox iubet umbellas seponere cunctos;
turba paret; pauitans anxietate manet.
Dulce preces uolitant mariales, moxque per aethram
fulgurat. . . «Ecce — inquit — Lucia parua — uenit !»
Adstiterat super ilignos nubecula ramos,
qualis, si redolent turea dona, uolat.
Nil aliud uisum; uerum tamen ore puella
pulcrior est subito Lucia facta pio;
pulcrior elata spectabat mente figuram
nullius auriculis uerba recepta loqui.
Qualis erat ! Nix arua minus tegit arua minusque
caeruleo Phoebus clarus ab axe nitet.
Tristior at uultu quo dici nomine uellet
quaerenti tandem reddicit illa sonum:
esse Dei magnam Genetricem; uelle sacello
hic se constructo tempus in omne coli;
cessarent homines pia Numina laedere, uellent
pellere si irati fulmina dira Dei.*

*His iussis abitura manus tum sustulit atque
ostendit partem, sol ruit unde, poli.
Lucia tunc cunctis: «Solem spectate !» locutast;
conspexere animis luminibusque polum.
Imber continuo cessat, nubesque fugatae
ostendunt solem fulgere luce noua,
ut qua luna micat noctis per aperta serенаe
cum caeli medio pendet eburna loco.
En rerum Titan spectacula maxima praebet;
luminibus fixis omnia turba uidet.
Sol giluo uarius, uiridi roseoque colore
in gyrum subito fulgura multa iacit
ut si festiuam crepitantibus ignibus horam
ducat et ipsa Deo plaudere luce uelit.
Hinc homines, hinc saxa simul uirgultaque uallis
innumeris — mirum ! — sunt decorata modis,
dum tantis circumfusi splendoribus omnes
ad stant et diua sic nouitate tacent.
Sol iterum iactat flammam iterumque moratur,
purior hinc iterum fulgura longa uibrat;
mox alios spargens ignes aliosque colores
in sese uertit turbine continuo.
Heu, caelo auelli nitido flammisque uidetur
in terras cinctus terrificusque trahi.
Num fatum miseris properat mortalibus atrum ?
lamiam terrigenis hora suprema subit ?
Credite, mortales, hic magnum Numen adesse !
Omnis humi flectit territa turba genu.
Vnum namque sonat moto de pectore nomen
Virginis et supplex plebs pia poscit opem . . .
Interea Virgo pueris spectantibus ecce
discedit sensim, lux ubi clara nitet,
quemque tenet lesum turbis praebere uidetur
infantem, casto iam comitata uiro.
Rem miram ! Dum elata uidet miracula fixis
Lucia luminibus fulgere tanta sibi,
en Iesus roseo subridens ore Puellus
brachiolum populis tendere uisus amans
amplectique orbem ueluti sua dona daturus,*

*queis nil in terris dulcius esse potest.
Destitit at uaria sol ducere luce choreas
diuaque surrexit gens pia facta putans;
scilicet hic cunctis Numen monimenta dedisse,
quo uellent homines iussa superna sequi.*

*Vallis, muneribus tantis dignata beatiss,
uallis, ubi posuit candida Virgo pedes,
quam multi ex illo populi coiere frequentes
ad te, quam multi saxa remota petunt !
Nunc Hyacintha, malis longis confecta, puella
occubuit: corpus marmora sancta tenent.
Occubuit frater (1); quae Lucia Virginis almae
conspexit faciem cuique Ea iussa tulit,
nunc nigris albisque caput contexta cucullis
in clausis domibus iussa superna colit (2).
Ast, ubi sancta Dei Genetrix apparuit, huc iam
conueniunt turbae, subsidiumque malis
supplex quisque rogat precibus marialibus usus:
saepius hic surgunt membra resecta statim.
Hic, ubi nullius recreatae gurgite fontis
arebant herbae, dum coquit arua Canis,
desilit unda solo labris sitientibus aestu,
mentibus unde uenit corporibusque salus.
Nonne putes Dominam, pueris quae se obtulit olim,
materno huc iterum pectore ferre gradus?
Allicit ut mater, sua nunc munuscula praebet
ut caeli doceat per mala tesqua uiam.*

*Hic, ubi uallis erat teneris balantibus apta,
reddebatque preces montis imago piass,
marmore de niueo templum nunc surgit et altae*

(1) Hyacintha Marto diuturnis malis, quae summa constantia ac sanetitate tulit, cruciata, supremum diem obiit X Kal. Mart. a. MCMXX (cfr. Fonseca, op. cit., p. 123); Franciscus, eius frater, undecimum aetatis annum agens, iam antea mirum in modum occubuerat (ib., p. 116 sq.).

(2) De ea, cum nondum omnia aperire liceat, pauca scripta leguntur (cfr. Fonseca, op. cit., p. 129 sq.).

culmine de turre deolat unda soni.
Qua forma pueris uisa est, stans candida Virgo
maesta quidem gentes ad sua tecta uocat.
Innumeri ueniunt certis hinc inde diehus
Virginis ut festum cum pietate colant.
Montanum sic feruet iter multisque resultat
cantibus et precibus semita longa satis.
Vt cupiunt omnes sanctae sua dicere Matri,
mentes quae uexant, quae mala membra tenent !
Nocturno expectant constrati tempore donec
exoptata dies proferat alba caput,
adsint ut sacris, diuino ut pane fruuntur,
ut laeto laudes Virginis ore canant.
Interea caecas uariant hinc inde tenebras
ardentes uallis per loca cuncta faces;
descendisse putes in terram sidera caeli
totaque luminibus uallis anhela scatet (1).
Pompa triumphalis fulgenti noctis in umbra
progreditur, resonant dum mariale melos.
Sic uno turbae numen sermone fatigant,
dum Matrem celebrant auxiliumque uocant.
Vix aurora suos festiuos exerit ortus,
turbis collectis en sacra mysta facit;
uui taque gens Christi mutata uescitur esca,
ut uitae fortes quaeque molesta ferant.
Imminet ut medius radianti Phoebus ab axe
(id tempus pueris se dabat Illa tribus)
per spissas populi turmas tum fertur Imago
excelso solio stans redimita suo.
Incedit lente, dum cunctis ima mouentur;
plurima, qua graditur, i ac ta corolla uolat.
Incedit passimque sonant pia carmina Matri,

(1) «... airimprovviso spuntano qua e là nelle tenebre dei piccoli punti luminosi. In breve diventano centinaia e le centinaia si moltiplicano a migliaia; in pochi minuti l'oscura valle è diventata un mare di vivo fuoco. Io ho visto le luci di Kevelaer, di Einsiedeln, di Altotting; ho visto pure quelle di Lourdes; ma che sono esse in confronto di questo mare di luce?» Ludwig M. Fischer, *Fatima, das portugiesische Lourdes* (apud Fonseca, *op. cit.*, p. 155).

*omnes quae tangens flamine blanda beat.
 Est ubi confestim, quae corpora tacta malignis
 languebant morbis, pulsa uigore nouo
 integra iam sur gant; it rumor, totaque turba
 concelebrans longo murmure facta fremit.
 Vt mare caeruleum spumis candentibus albet
 si quando crispant aequora salsa Noti,
 nunc subito uallis floescere tota uidetur:
 candida quisque manu lintea rite mouet.
 Non sine lacrimulis, pietas quas fundit ab imo,
 magno turba «Vale» dicit amore «Parens !»
 et memori uultum Genetricis mente reportant,
 quo uitae possit tutius ire uiam.*

*O uallis iucunda, Dei iam facta per orbem
 innumerabilibus cognita prodigiis,
 Fatima, quo uoluit nuper, miserata laborum
 nostrorum, Mater caelica ferre gradus,
 per cunctas uolitat nunc nomen, Fatima, gentes;
 Fatima nunc gentes undique clara uocat.*

*Lusiadum tellus, fortunatissima tellus,
 qui locus in terris clarior esse potest ?*

IOSEPHVS MORABITO

MESSANENSIS